

DEMONSTRATIO XXVI.

Aer calore expanditur, frigore autem coarctatur.

*Experimenta.*

1. Thermometra varia producuntur, & primo vulgare, quod ex Phiola longioris colli constat, spiritu vini rubicundo repletum, ubi observamus liquorem sub calido aere descendere, sub frigido autem ascendere.

2. Exhibeatur Florentinum, quod constat ex graciliori Phiola vitrea spiritu vini ad mediam tubi partem repleta, in superiori parte clausa, ubi circa ejus usum observandum, ne instrumentum hoc aeri nimis calido applicemus, alias ab incluso aere valde expanso facile diffringitur.

3. Phiola longioris & tenerioris colli sumatur, colorato liquore ad medietatem repleatur, orificio ejus superiori manente aperto, & postea calori applicetur; ita videmus pro diversa ratione caloris vel frigoris liquorem, si valde spirituosus fuit, vel expandi & majus spatium acquirere, vel comprimi in majorem angustiam.

4. Curiosissima sunt illa, quæ ex tenuissimis capillaribus quasi canaliculis composita sunt, ubi nimia caloris vel frigoris alteratio maximos & valde sensibiles producit effectus.

5. Aliud sistatur, nempe quod compositum est ex globo vitreo, cui intrusus tubulus & probe cum globo firmatus, ut aeris egressus impediatur, postea aer flatu comprimatur, ita liquor in calido loco in tubum assurgit, in frigido decidit, idque valde sensibilibiter.